

365

363

369

conabantur autem gubernatores ad aliquem portum applicare, sed
incassum laborabant, quia nullum habebant ventorum adjutorium,
nec labores eorum aliquem habebant effectum.

359

Post tempus aliquarum horarum venit quidem ventus, sed
inutilis, quem etiam nullo modo sequi conveniebat, portasset enim
nos ad littora Albaniæ, quæ nunc Turcorum sunt. Est autem
sciendum, quod duplex est Albaniæ, una est Asiae majoris provin-
cia ad littora oceani septentrionalis et ad mare Caspium se ex-
tendens, regio frigida, in qua albi nascuntur homines ferocissimi,
ita, ut leones perimant, et habent oculos glaucos, quibus melius
in tenebris et noctibus vident, quam cum lumine vel in die. Ab
his gentibus venit olim exercitus in Peloponnesum et diffusi per
littus maris regionem illam etiam Albaniæ vocaverunt, et de ista
jam loquor. Civitas, quæ est caput totius Albaniæ, dicitur Scodra,
quæ Venetorum fuit, sed anno Domini 1478 eam civitatem Turco
dederunt in confoederatione. Hanc nos in vulgari nominamus
Scultur. Ad eam bene venissemus pro celebratione festorum, sed
jam nec cultus nec festa in ea sunt, mansimus ergo sic in mari
per illam sacram vigiliam et sacratissimam noctem.

374

354

414

314

464

264

Die XXV., quæ est sacratissimæ nativitatis Domini Jesu, in
medio noctis (¶) illius celeberrimæ, Dominus Johannes Transsil-
vaniensis archidiaconus et ego suus collateralis petito lumine a
cellerario cistam, quæ stabat ad latus cumbae nostræ, tamquam
altare præparavimus; emeram enim Alexandriae tapeziam Turci-
cam pulchram, quam cistæ superposuimus, et mappas sericas,
quas Hierosolymis comparavi, expandimus et lumina accendimus
et imagines, quas habuimus, desuper locavimus et simul officium
matutinale psallere coepimus, ad quod plures excitati intraverunt
ad nos audientes officium; omnia enim legimus manifeste, sicut
in ecclesiis fieri consuetum est, matutinam cum Missa sacrae
noctis. Sic etiam fecimus in aurora et in die, nihil autem ita
quiete agere potuimus, sicut officium mediae noctis, eo enim finito
cometa galeæ, qui est principalis de gubernatoribus, vir utique
inquietus, maledicus, blasphemus et nullius fidei nec conscientiae,
descendit in carinam et convocatis omnibus galeotis et companis
ad durissimos labores stimulavit et totum galeæ statum immuta-
vit removens et evertens graves et grandes specierum saccos, et
de latere in latus aliud transponi fecit cum multis clamoribus,

Ende

Anfang

